



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Iobi magnæ, in magna potentia, virtutes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

DEI susciperes? certe maiori exultatione, & affectuosiori voluntate, cum gratiarum etiam actione hanc Dei animadversionem debes tibi unicam habere, quia & hoc utilissimum DEI donum est.

In hunc sensum olim celebratissimus ille Pachomius Theodoro ægrotanti & sanitatem flagitanti respondit. Theodoro gravis passio capitis inflata, dolores acerrimos excitabat. Qui cum rogaret Pachomium, ut eum suus releuaret orationibus, ait ad eum: Putasne, fili, quòd alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid huiusmodi sine permissione Dei? idcirco in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: & quando voluerit Dominus, conferes tibi sospitatem. Quòd si te diutius probare dignatur, esto gratus, ut fuis perfectissimus, & patientissimus Iob, qui multas tribulationum & cruciatuum tentationes excipiens, Dominum benedicebat. Et sicut ille, tu quoque pro doloribus tuis maiorem requiem à Christo percipies. Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseverantia: tamen infirmus magis premium adipiscitur, cum longanimis & patiens inuenitur. Sicut ergo Pachomius Theodorum exemplo Iobi ad tolerandum capitis dolorem animauit; ita & nos ægros omnes ad patientiam hortabimur, historiâ eiusdem viri, quam ad eundem finem, in sacris litteris, Deus voluit commemorari. Reperiemus, sicut in Lydvina Iobum, ita in vno Iobo multas Lydvinas, quas imicemur.

C A P V T XXXIII.

Admiranda Iobi patientia & constantia, in omni statu, seu prosperitatis, seu calamitatum, & morborum, Deum laudantis.



In nulla alia esset morborum causa, quàm ut Iobum, verum & merum patientiæ theatrum, tot plagis expositum, mundo & Angelis spectandum exhiberent, ea sola sufficeret. Vir iste secundis & aduersis ventis vsus, in vtraque fortuna fuit admirandus; tantoque maiorem meruit admirationem, quòd non satis fuerit, eum in rebus prosperis, neque tumidum, neque auarum, neque ferocem & inclementem, neque delicijs deditum, aut voluptatibus vanis à virtute fuisse abductum; sed quòd etiam recta via gradientem tot exceperint tem-

X x 3

pestates;

XV.

Heribertus
Rosveid. l. 1.
de vitis PP.
cap. 51.

L.

- pestates. Vt rarum, ita magnum est, diuitem esse, & non insolentem; corpore firmo ac robusto, & in sensuum oblectamenta non effusum. Iob septem filijs & tribus filiabus felix erat. Et fuit possessio eius, septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga bouum, & quingenta asina, ac familia multanimus: eratq; vir ille magnus inter omnes Orientales. Alius totus in eo fuisset, vt ouium, vt camelorum, vt bouum multitudinem augeter; Iob sciens vti diuitijs, ita se inter opes multas gessit, vt indigentibus opem non negaret, sed dicere auderet: *Oculus sui caco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cum esset magnus inter omnes Orientales, non dedignatus est liberare pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor. Quam rari res hæc erat exempli? Ire per Iordanem, vel etiam ipsum mare sicco vestigio, aut summas per vndas currere, nec tingere in aquore plantam, apud sacros & profanos scriptores, prodigiosum habebatur. At longè maius prodigium erat, Iobum, inter astutos & versipelles, esse simplicem; inter curvas hominum mentes, rectum; inter impios Hulsitas, timentem DEVM; inter dolum dies noctesque meditantem, recedere à malo. Atqui has tantas eius virtutes demon (vt D. Chrysostomus monet) parui faciebat. Suspicebatur enim, eum beneficijs à Deo affectum, & tam amplis diuitijs ornatum, facile gratum esse potuisse benefactori. Abstulit ergo ei, permissa summi iudicis, facultates, & inuenit Iobum talem pauperem, qualem antè expertus est fuisse diuitem. Nempe opes ei adimere potuit, non virtutes; quas, illis ablatis, fecit auctiores. Abduxit boues, abegit camelos, oues igne caelesti perdidit; filios quoque & filias eius ruina domus oppressit conuiuantem. Quid effecit? vt Iob scinderet vestimenta sua, & tonsa capite cernens in terram adoraret. Itaque adèd fuit constans vir iste, vt, amissis omnibus ceteris, etiam scissa vestimenta, & resectos de capite, capillos insuper abijceret, & Deo consecraret, quasi auctario opus esset, ac non satis antè perdidisset. Et vide mihi discrimen. Porcus percussus grunnit: cithara percussa suauem sonum reddit. Ita alij, qui, vno boue amisso, calum & terras querelis implent, Iobum illustant. Quas enim ille voces edidit spoliatus? *Nudus egressus sum de utero matris meae, & nudus reuertar illuc: Domine**
- Iob. 1. 2.
- Iob. 29. 15.
- Ibid. v. 12.
- Iob. 1. 8.
- S. Chrysof. hom. 7. ad populum.
- Iob. 7. 20.
- Ibid. v. 21

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Vides citharam percussam?

Quàm admirabile est hoc patientiæ constantisque animi exemplum? Iob diues, & Iob pauper eandem cecinit cantilenam. Semper luscinia fuit, tam in aduersis, quàm in prosperis, Deum laudauit. Vno die oues, boues, camelos, liberos amisit; vno momento ex Cræso Irus factus, ex felice miser. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Nec tamen etiam hanc virtutem Satanas magni æstimauit; eò quòd videret illum adhuc sano esse corpore. Censuit ergo eum maioribus catapultis quatiendum. Quia enim externa bona minora sunt, quàm quæ intra nos habentur, calumniatus est, Iobi patientiam nihili faciendam, quæ in amissione bonorum fortunæ appareret dumtaxat: eò quòd facile esset, ludere de alieno corio: *pellem*, inquebat, *pro pelle, & cuncta qua habet homo, dabit pro anima sua*: quæ vtique ei charior est, quàm pellis ouium, bouum, & camelorum, immò & liberorum. Vt igitur nullam non pateretur inuidus heros calamitatem, egressus Satanas à facie Domini, percussit Iob *ulcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius*. Vbi primò cognosci potest, non rectè ab Origene scriptum esse, dæmonem, qui semel ab aliquo sancto sit victus, nec eundem, nec alium hominem aggredi, vel tentare denuò audere, sed quasi in spiritali bello, à Christi militibus interimeretur, aut fugaretur cessare ab impugnando; non secus ac si id ageretur lege, & iure singularis certaminis, & humani duelli, in quo qui semel victus est, non permittitur victorem iterum prouocare. Sed aliter res habet. Etsi enim superbissimus Spiritus, vbi nulla victoriæ spes affulget, non facilè eundem hominem, in eadem materia, & rebus nihil mutatis, solet aggredi (quem admodum & Christum tantùm semel in eadem re aggressus est, quòd nihil se proficere posse cerneret, si secundò eandem rem fuggeret, vnde tandem consummata tentatione, recessit ab illo pudibundus, victoris aspectum fugiens, iterumque vinci timens) attamen temporis, vel rei, vel dispositionis condicione variata, meliorem occasionem nactus, idem spiritus eundem hominem centies, & sæpius tentat: scit enim multas munitissimas arces, tandem

IL

Iob. 2. 4.

Iob. 2. 7.

Orig. hom. 5.
super Iasvm.
Naue.